

ta tres & sexaginta triremes numerabantur. Hoc pari, atque fere æquato virium numero conjectura difficile erat assequi, quoniam consilia evasura essent, cum rei bene gerendæ facultas non ex alio magis, quam ex præfectorum militari scientia, ac virtute penderet. Vincentius Capellius, Venetæ classis imperator, inter Corcyræ, & Zacynthi insulas commorabatur, ac ne quid Venetorum loca, & populi detrimenti paterentur, curabat; in omnes tam Cæsareanæ, quam Turcicæ classis motus intentus, ne utrorumque suspicionem incurreret, illarum congressum studiose devitans. Cum vero Corcyræ esset, Himerali, qui ad Ambratium sinum appulerat, cum triremi certos, qui suo illum nomine inviserent, muneraque deferrent, nuntios misit; quibus ille benigne exceptis, nullas a suis injurias, aut damna Venetorum rebus inferri passurum pollicitus est: quod severe adeo a barbaro servatum est, ut Zacyntho, ac Cephalenia prætervectus, exscensione in terram facta, præter morem classiarii nullam incolis noxam intulerint. Andreas vero Auria Messana solvens in Græciam navigaturus, cum Zacynthi Venetam classem morari intellexisset, ut Capellium alloqueretur, eodem contendere statuit, eo consilio adductus, ut de industria Turcis Venetos suspectos reddendo, illos ad confociandam cum Cæsareanis classem compelleret, quod Auria non modo, verum etiam Cæsar summopere concupiverat. Nam illius orator Andræ Aurie literas Genua datas ad Senatum detulerat, quibus petebat; Capellio mandaret, ut maritimas Venetorum vires cum Cæsareanis conjungeret, magna feliciter gerendarum rerum opportunitate proposita, ut illecti Patrum animi, secundarum rerum spe elati, a proposita consiliorum ratione discederent, qua in neutram pendere partem matura consultatione decreverant. Senatus vero decreto Cæsareo oratori responsum fuerat: se, quod pacem cum Suleimano coleret, ut Aurie assentiretur, adduci non posse. Quo responso audito, cum minime sibi, & Aurie satisfactum intelligeret, ad importuniora postulata prolapsus, *Si forte obtigisset, ut ad prælium Cæsareana classis cum Turcica descenderet, an Veneta Turcica adfutura esset, quærebat.* Legati petitione admirabundi Patres, prudentiam in eo desiderabant. *An non satis cognitam Reipublicæ pietatem, ac*

1532

*Vincentius
Capellius
ad Himeram
nuncios
misit.*

*Cæsareanarum
studium,
ut Venetam
classem sibi
adjungeret.
Andræ
Aurie literæ
ad Venetos.
Senatus re-
sponsum.*

reli-